Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26106
Copyright: Admont, Benediktinerstift

iacebat. Patefacto tecto eger autem ante ihm submittitur. quia reseratis
scripturarum mysteriis ad notitiam Christi peruenitur. hoc est ad eius humi
litatem fidei pietate descenditur. Et bene domus ihu iuxta
alterius euangelistę narrationem tegulis esse contecta reperitur. quia
sub contemptibili litterarum uelamine si assit qui reseret diuina spiri
talis gratię uirtus inuenitur. denudatio ergo tegularum in domo
ihu apertio est in uilitate litterę sensus spiritalis et archanorum
cęlestium. Quod autem cum grabatto deponitur infirmus significat
ab homine in ista adhuc carne constituto Christum debere cognosci.
Cum uidisset autem ihc fidem illorum ait paralitico. fili. dimittuntur
tibi peccata tua. Curaturus hominem a paralisi dominus primo
peccatorum uincula dissoluit. ut ostenderet eum ob nexus culparum
artuum dissolutione fuisse dampnatum. nec nisi his relaxatis
membrorum posse recuperatione sanari. Sic et illi paralitico qui
iuxta probaticam piscinam diu motum aque frustra prestolabatur
sanato a domino dicitur. Ecce sanus factus es iam noli peccare
ne deterius tibi aliquid contingat. fili inquit dimittuntur tibi peccata.
O mira humilitas despectum et debilem totisque membrorum compagibus
solutum filium uocat quem sacerdotes non dignabantur attingere.
Aut certe ideo filium. quia dimittuntur ei peccata sua. Intuendum sane
quantum propria cuique fides apud dominum ualeat ubi ualuit tantum
aliena. ut totus homo repente hoc est interius exteriusque iam
saluatus exsurgeret aliorumque merito aliis relaxarentur errata.
Erant autem illic quidam de scribis sedentes et cogitantes in cordibus
suis. Quid hic sic loquitur? Blasphemat. Quis potest di
mittere peccata nisi solus deus? Verum dicunt scribę quia nemo
dimittere peccata nisi deus potest. qui per eos quoque dimittit quibus
dimittendi tribuit potestatem. et ideo Christus uere deus esse probatur
quia dimittere peccata quasi deus potest. Vere deo testimonium